

1. Anton J. Pauli's Veritas
Christiane Religionis,
Hale, 1718.
2. ———— Diff. de Insigni
Harmonia Fidei que iusti-
ficat, et fidei quatenus
iustificare dicitur, Hale, 1723
3. Barth J. Joh. Henrici Diff.
de Doctrina in theologia Ignoran-
tia, Argentorati, 1717.
4. Baumgarthen J. Sigism. jans.
Diff. de Limitibus in concili-
anda Rationi Doctrina
revelata observandis, Hale
1751.

GEORG. HENR. GOETZII, D. 19

Superint. Lubecenf.

Exercitatio Theologica,

De

Annuntiatione Judi-
cii extremi, à Christo
exercendi,

Ex

Act. X. v. 42.

Quam

In Colloquio Consueto

D. XXI. Novembr. AN. MDCCXIII.

defendet

JOH. HERMANNUS SIRICIUS,

Lubecenfis.

LUBECÆ,

Prelo SCHMALHERTZIANO;

PRÆFAMEN.



†

†

Domum *Cornelii*, quam Petrus olim ex voluntate ipsius DEI ingressus erat, in Christi conversam fuisse Ecclesiam, *Hieronymus*, Scriptor gravissimus, tradit, eamque sanctam ac venerabilem *Paulam* oculis usurpasse, ad *Eustachium*, virginem, scribens, *Epist. XXVII. T. I. Opp. f. III.* verbis disertis confirmat (*). Non immerito autem ædem hancce Christi dici posse Ecclesiam, mihi est persuasissimum. Christi enim verbum, varia complectens beneficia, in illa fuit annunciatum, & vera, quæ pios decet homines, fide receptum, ut copiosissima Spiritus S. gratia, eisdem mirum in modum impertita, & purifici roris perfusione, satis superque confirmata fuerit. Nolo autem singula jam recensere argumenta, quæ sanctus ille Vir, *Petrus*, Cæsareæ proposuit, atque gentibus, tunc temporis ibidem congregatis, magno fortique animo instillavit; sed unicum tantum ex iisdem repetere nunc constitutum habeo versiculum, doctrinam de Judicio extremo sistentem, paucis in illum commentaturus. Ne vero leges bonæ methodi deseruisse videar, tribus sectionibus totam tractationem includere mihi est volupe, quarum prior erit *Sectio Exegetico-Philologica*, altera sistet *Porismata*, & tertia denique *Problemata* quædam expendet. Faxit modò Divinum Numen, ut vera ac salutaria in hisce meditari, asserere, & propugnare queam, in sanctissimi ejus Nominis gloriam, atque necessariam mei aliorumque institutionem!

Verba Textus sacri ita fluunt:

¶. 42. **Κ**αὶ παρήγγειλεν ἡμῖν κηρύξαι τῷ λαῷ, καὶ μαρτυραδαί, ὅτι αὐτὸς ἐστὶν ὁ ἄριστός. Ἐπὶ τῆς Θεῆς κριτικῆς ζώντων καὶ νεκρῶν.

(*) Adejusdem *Hieronymi* Testimonium provocant *Card. Baronius Annal. Eccles. T. I. f. 317. Cornelius à Lapide Comment. in Act. 13.* & *D. O. Dapperus in Descriptio Palæst. f. 174.*

Et præcepit nobis prædicare populo, & contestari, quod ille sit definitus à DEO Judex vivorum & mortuorum.

Und Er hat uns geboten/ zu predigen dem Volck/ und zeugen/ daß er ist verordnet von GOTT ein Richter der Lebendigen und der Todten.

Sectio Exegetico-Philologica.

§. I. Primò autem ipse Apostolus ad mandatum Christi provocat, sibi, & universo Doctorum choro, impertitum, ut de veritate Judicii extremi homines redderentur certiores. Quapropter statim notandum est, pronomine *ἡμῶν* Petrum se aliis non præferre Apostolis, sed commune horum indicare officium. Quemadmodum enim unusquisque eorum Christum è mortuis resuscitatum viderat, & cum illo familiarissimè vixerat, ita eisdem quoque, ceu ex conjunctione rectè inferri potest, præceptum erat, ut ad illustrem resuscitati adventum provocarent, e indè creberrimè insinuarent. Verbum itaque *παρὰγγέλλειν*, dativum personæ regens, non solum notat rem aliquam denunciare, sed seriò etiam alteri præcipere, ut negotium quoddam vel planè omittatur, vel ritè perficiatur. Conf. *Matth. X. 5. Act. I. 4. IV. 18. I. Tim. VI. 13.* coll. *B. D. Joh. Olearii Exercit. Philol. in Epist. Dominic. p. 162.* Descendit hinc vox, *παρὰγγελλία* scilicet, quæ *I. Tim. I. 5.* legitur, & designat non *legem*, seu *Decalogum*, sed universam docendi rationem, à Paulo diligenter observatam, atque Timotheo, aliisque verbi divini præconibus, commendatam. Vid. *Abrab. Sculteti Observat. in Pauli Epistolas ad singulares scriptas, p. 8. sq.* Quamvis autem Petrus non tam disertis hic innuat verbis, quo tempore hoc mandatum de annunciando judicio extremo eidem, atque reliquis Apostolis, datum sit, attamen haud difficulter ex generali illo præcepto, *Matth. XXII. 20. Marc. XVI. 15. Act. I. 8.* colligi potest, hunc quoque articulum illis ad annunciandum fuisse præscriptum. Leg. *Dan. Arcularius in h. l. p. 417. & Jo. Lorinus in h. l. f. 373.* Imo reliquos sermones, à Christo, de extremi judicii causa efficiente, *Joh. V. 21. 23.* ejusque qualitate, *Matth. XXV. 31. sqq.* habitos, hic prætermittendos haud esse reor, isti enim eos

edocuerant, iudicium aliquod solenniter certo certius à Filio Hominiis institutum iri, atque id propter causâ diligentissimam exposcere annuntiationem. Forsan à scopo hoc aliena haud erunt, quæ Phil. à Limborch in *Comum. in h. l. f. 109.* circa mandatum divinum annotavit. Mandatum hoc, quo Iesus Christus Apostolis præcepit populo prædicare, quod sit constitutus à DEO Iudex vivorum & mortuorum, nititur ipsius resurrectione ex mortuis. Illa enim DEUS testimonium omni exceptione majus perhibuit doctrina Iesu Christi, cuius non minimum dogma fuit, quod esset supremus omnium à DEO Iudex constitutus. Cum enim Iesus Christus divina sua missione signum rogaretur à Judæis, ad suam è morte resurrectionem tertio die futuram provocavit. Cum itaque DEUS eum tertio die ex morte resuscitavit, eum veracem, & ad se missum demonstravit. Quia etiam resurrectio primus exaltationis Christi gradus est, eique celeste ejus regnum ac potestas in omnia immediate ac necessario adhaeret, regique functionis minima non sit iudicium in vivos ac mortuos: ex ejus resurrectione indubitanter cognoverunt, ipsum summum illum vivorum & mortuorum Iudicem, & cum Dominus ipso misit in omnes gentes, illud imprimis eos doceri voluit.

§. 2. Hoc verò Apostolis erat præceptum, ut populo futurum iudicium prædicarent, atque coram ipso de hujus veritate testarentur. Prius per κηρύξαι τῷ λαῷ, posterior per Διαμαρτύρασθαι effertur. Notat itaque verbum κηρύσσειν s. κηρύττειν prædicare, quod viva voce instituitur, prout Christus de se ipso, ad *Ev. LXI. v. 1. 2.* respiciens, testatur, quod ad prædicandum missus fuerit, κηρύξαι ἀρχιμαλώτοις Ἄφροσιν, κηρύξαι ἐπὶ τὸν Κυρίῳ δεξιόν. *Luc. IV. 18. 19.* Verbum agonisticum id esse, contendit Jo. Cunrad. Dietericus in *Antiquit. N. T. f. 437.* *Gymnicorum*, inquit, agonum more Præco publicè nuntiabat victorem, quod præclarè in stadio & circo decertasset. Dum itaque Apostoli ad prædicandum officium erant constituti, *Marc. XVI. 15.* vel maxime ab eis requirebatur, ut Christi victoriam singulis notam facerent, ejusque, ut victoris hostium suorum, adventum prorsus singularem, solenniter instituendum, intimarent. Hi verò Κήρυκες tum voce viva, tum scriptione, tum fama, officii sui partes diligenter adimpleverunt, ita ut præconio, s. viva voce, cum præsentibus essent, & libris, post se relictis, ac epistolis, ad diversas Ecclesias exaratis, & fama, quam de se sparserant, ubilibet locorum annunciaverint, affore istud tempus, quo per Christum omnes sint iudicium subituri. Hinc Paulus modo κηρύσ-

κηρύσσεν, modo γράφειν adhibet, II. Cor. IV. 1. VII. 12. IX. 2. officii sui rationem Corinthiis indicaturus. Etenim quod praconiauerunt illi, per quos Evangelium ad nos peruenit, postea, per Dei voluntatem, in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columen fidei nostrae futurum, rectè satis Irenaeus Lib. III. adversus Haereses c. 1. f. 289. in hanc rem commentatur. In commodum igitur τῷ λαῷ ipsorum κηρύγμασιν vergere debebat, ut scilicet omnes homines, tum Judaei, tum Ethnici, ad poenitentiam, hac audita perceptaque praedicatione, excitarentur. Equidem & παντὶ τῷ λαῷ, ut Petrus v. 41. indicaverat, esse antea manifestaverat Christus, in vitam revocatus, ipsius tamen adventus, majestatis plenissimus, τῷ λαῷ erat indicandus, πάση scilicet τῇ κτίσει, Marc. XVI. 15. eò quod omnibus fidem offerret, Actor. XVII. 31. serio vellet. Hoc tamen adhibito delectu, ut Judaei primum, ac postea Ethnici, ad quorum classem ipse Cornelius pertinebat, notitia istius imbuerentur. Eò pariter respicit alterum verbum ἀγγαγρεύουσα, quod Act. XX. v. 24. iterum occurrit, nec non Luc. XVI. 28. & II. Tim. IV. 1. indefessum notans studium, rem aliquam testimonio confirmandi. Quamvis enim Spiritus sanctus testimonium divinitati Messiae tributurus erat, prout ipse Christus ad illud provocabat, Job. XV. 26. attamen ejus Apostoli debebant esse συμμαρτυρήσαντες, & quasi interpositis testibus, denunciare, ut ex Stephano vim verbi hujus exprimit Dietericus l. c. f. 233. veritatem judicii, à Christo instituendi, nequaquam in dubium esse vocandam. Placet hic inserere Jo. Calvini censuram, quae in Comm. in Acta f. 138. legitur, & huic commati haud parum lucis asferre potest: In verbo TESTIFICANDI subest pondus: quia ut natura ad incredulitatem propensi sunt homines, minus efficacia ac vigoris haberet simplex Evangelii praedicationis, nisi eam Dominus validis obtestationibus sanciret. Praesertim verò satis superque quaque nostrum ipse sentit, quam difficile sit, tum mentes, ad sperandum Christi adventum, supra caelos erigere, tum in assidua hac meditatione tenere defixas.

§. 3. Et hoc ipsum Judicium, quod summam totius concionis & testimonii Apostolici concernit, verba subsequentia paulo uberius

rius probant confirmantqve. In illis siquidem primo *Judex* describitur, ὃν αὐτὸς ἐστίν, adeoque intelligit Petrus *Jesus Nazarenum*, è mortuis resuscitatum, cujus duplicem statum, *Excinnationis & Exaltationis*, in antecedentibus insinuaverat. Huic enim primas deferendas esse in hoc judicio docebat, cui alias non ignotum erat, se ac reliquos Apostolos non absentes fore. sed omnia judicis iustissimi acta & pronunciata suo calculo esse approbaturus, ceu Paulus ait *I. Cor. VI. 2. 3. Non nescitis, quod sancti mundum judicaturi sint? Non nescitis, quod Angelos judicaturi simus?* In quem locum eruditè commentatus est B. D. Godofr. Wegnerus, in *Disput. Theol. A. MDCCIX.* scripta, & post beatum Viri clarissimi ex hac vita discessum publici juris facta, de *Judicio sanctorum super mundum & Angelos*, quæ conferri meretur. Verum, dum *Judicis* meminit, eundemq; *Christum*, unctum illum *v. 38.* fore, asserit, tacitè monere vult, eundem, secundum humanam quoq; naturam, officium hocce esse peracturum, prout ipse Salvator verbis luculentis erat professus: *Neque Pater judicat quemquam, (scil. immediatè) sed judicium omne dedit Filio, (incarnato, & mediatori inter Deum & homines constituto) Ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem. Job. V. 22. 25.* Et paulo post *v. 27. Potestatem dedit ipsi judicium faciendi, quia* (scilicet, quod non causaliter, & reduplicativè, sed restrictivè & specificative, accipiendum est, notante B. Dannhauero *Hodosoph. Phæn. VIII. p. 661.*) *Filius Hominis est.* Et hoc ipsum reliqua magis insinuant verba, in quibus dicitur ὁ ὀρίσμενός ἐστις ὁ θεός. Verbum itaque ὁ θεός hoc loco idem notat, ac publicè designare, declarare, & notificare. Christus enim à Deo ut *Judex* est declaratus, quod is scilicet, & non alius, hoc sit defuncturus munere. Idem verbum de Christo *Rom. I. 4.* legitur, quod is per resurrectionem ex mortuis sit declaratus *Filius Dei.* Notandum verò, illum ὁ ὀρίσμενός, qui *Eidem* tribuitur, indicare *definitionem declarativam, demonstrativam, manifestivam, notificativam, terminativam*, hoc sensu: *Jesus Christus Deus & Homo, Filius Dei certus & efficacissime pronuntiatus, demonstratus, ac declaratus est Filius Dei, vel, definitè, solitariè, cum exclusione aliorum omnium, denota-*

tus

ius est Filius DEi, ut verba celeberrimi Jenensium Theologi, Dn. D. Michaelis Foertschii, quæ in *Dissertar. Theol. Select. Decade p. 159.* extant, mea hic faciam. Non autem prædestinatus est ad hoc iudicium, prout nonnulli apud Lorinum in *h.l. f. 375.* verbum istud exponunt, nec illud *ὀπίσθεν* præsupponit statum æternæ gloriæ pro termino ad quem, bene notante B. Hülfemannino in *Vindiciis Scriptur. p. 65.* sed Christum eidem esse destinatum, tempore definito exercendo. Et quidem *ὡς ἦ Θεῶ.* Adeoque à DEo ipsi, qua homini, potestas data fuit, per unionis scilicet gratiam, in unione personali, quam ut DEus habuit essentialiter, & ab æterno. Quapropter potestatem faciendi iudicium universale accepit Filius Hominis, à Deo Patre, Deo Filio, & Deo Spiritu Sancto, quippe à quo secundum humanam naturam fuit unctus, atque divinis & infinitis donis, quæ ad officii triplicis, Prophetici, Sacerdotalis ac Regii, executionem pertinebant, præ consortibus suis instructus, ut ea suo tempore exereret & manifestaret. Nomen enim DEi *ἰσοῦσθαι* acceptum, Patri, Filio, & Spir. S. aequaliter competit. B. Gerhardi T. IX. L. L. *Theol. p. 71.* est observatio.

§ 4. Is autem futurus est *κρίτης* Judex, quippe qui forma humana, visibiliter, & gloriose, præsentiam suam iudicandis accommodabit, eosque vel præmiis, ex singulari gratia eisdem destinatis, vel pœnis promeritis mastrabit. Hinc vocatur *ὁ δίκαιος κρίτης* II. *Tim. IV. 8.* vel *Vir, mundum iudicaturus in iustitia.* Act. XVII. 31. *μέγας Θεός καὶ σωτὴρ*, cuius apparitionem gloriosam verè pii & credentes expectant. *Tir. II. 13.* Is autem venturus in gloria Patris, *Matth. XVI. 27. Marc. IX. 38.* verè, realiter, & visibiliter, iudicium exercebit, atque manifestabit, se, ut Regem, dominari posse in unversos homines. De tempore nil certi quidem affirmari potest, quippe quod ipsum Petrum latuit, *Marc. XIII. 32.* Attamen sententiæ clarissimi Argentoratensium Theologi, B. D. Joh. Joach. Zentgravii, subscribo, quæ in *Thesum Theologicarum selectiorum Semi-Centuria, A. MDCC.* proposita, *Th. XXII. p. 5.* hisce verbis concepta legitur: *Certi possumus esse*

esse, diem extremum non venturum, donec omnis Prophetia Apocalypticæ Johannaæ impleta sit. Sufficiat nobis, nosse, resurrectionem mortuorum istum antegressuram, & consummationem seculi insecuturam esse, reliqua ipsi DEo committentibus.

§. 5. Sed ipsos Homines judicatum iri, Petrus nunc asserit, dum ζώντων καὶ νεκρῶν meminit. Etenim de ipsis Angelis malis, quippe qui pariter iudicio huic solemniori sunt destinati, 1. Cor. VI. 3. II. Petr. II. 4. Epist. Jud. v. 6. altum hic est silentium, eò quod ad eos non pertineat Evangelii prædicatio, nec remissionis peccatorum, ex Christi resurrectione percipiendæ, sint capaces. Homines verò, quorum bono natus & datus est Salvator, iudicium extremum subituri sunt, ut eorum vel fides, vel ἀπίστια, innotescat. Quapropter eorum hic meminisse voluit Apostolus, ut ostenderet, illorum esse officium, istud diligenter meditari, quo in die pantocritico iudicem experiantur gratiosissimum, eundemque è mortuis resuscitatum esse, indubitato crederent, atque in hac fide magis magisque confirmarentur. Verum, dum specialem quandam distributionem hominum iudicandorum instituit, atque ad vivos & mortuos provocat, per illos intelligit eos, quos novissimus dies deprehendet vivos, per hosce verò eos, qui ante diem censorium obierunt, atque in sepulchris dormiverunt, inque vitam, divina omnipotentis DEi virtute, fuerunt revocati. Eandem partitionem Petrus facit 1. Epist. IV. 5. cum Paulo II. Tim. IV. 1. Labet vero hic Isidori Pelusiotæ, qui ad quintum refertur Seculum, & ingenuus Chrysothomi fuit cultor, expositio-nem adducere, quæ Lib. 1. Epist. CCXXII. f. 13. sq. legitur, atque ita sonat :
 Τὸ κρίνεισθαι ζώντας καὶ νεκρῶς, τοῦτ' ἐστὶ, πὸ καὶ ψυχῆν καὶ σῶμα εἰς κρίσιν ἐλεύσεσθαι, καὶ ἔτι ἐν ἰσχυροῦ κεχωρισμένον, ἀλλ' ὡσπερ κρινῆν πῶ ἐν ταῦτα συναφίαν ἐποιήσαντο, οὕτω καὶ πῶ ἐκείθεν δίκην ἠναμένως ὑφέξουσιν, εἰ ἢ καὶ ἀλλως ζητεῖς, ἔτω διακρίνας, ζώντας τοὺς αἰζῶνον βίον καὶ θεοφιλῆ μετελλόντας, καὶ λαποδύνας αὐτοῖς ἀπλευτήτοις ἀμοιβὰς, κρῖνας τοὺς νεκρωθέντας τοῖς ἀμαρτήμασι, καὶ πὸ θεὸν αὐτοῖς τάλαντον, ὡς ἐν τῷ φησὶ ἐαυτῶν κ' ἠλώσαντας ραθυμία, καὶ

καὶ ἀμόναστοι αὐτοὺς ἡμεῖς. εἰ δὲ καὶ ἄλλως, οὕτως, κερναί τοὺς τό-
 τε ζῶντας καὶ λευφθέντας, καὶ τοὺς ἤδη πρὸ αὐτῶν κοιμηθέντας. Quæ
 latinè reddita ita fluunt: Per id, quod vivos ac mortuos judican-
 dos esse, ait Scriptura, illud significatur fore, ut anima & corpus simul in ju-
 dicio veniant, nec alterum ab altero sejungatur, verum quemadmodum
 in hac vita communem conjunctionem habuerunt, sic etiam futurum judi-
 cium subeant. Quod si alio quoque modo hunc locum tibi explicari que-
 ris, sic habeto: vivos, hoc consecrati sunt, secernere, ipsisque immorta-
 les mercedes persolvere: eos autem, qui peccatis immortui sunt, datumque
 sibi talentum in sua socordia perinde atque in sepulchro defoderunt, judicare,
 atque cruciati afficere. Quod si aliam adhuc explicationem petis, ea erit
 hujusmodi: judicare eos, qui tum vivi relicti fuerint, & eos qui ante ipsos
 vitam cum morte commutarint. Recte verò notat B. Gerhardus, qui
 adducta Isidori verba, ex versione latina, tum T. IX. LL. Theol. p. 112.
 tum in Comment. in I. Epist. Petri p. 552. profert, postremam interpreta-
 tionem esse simplicissimam, quam propterea & retinendam esse censeo, ut
 ea nunc non repetam, quæ prolixius à Job. Pearsonio, in Expositione Sym-
 boli Apostolici p. 530. 599. circa varias vivorum & mortuorum acceptio-
 nes fuere annotata. Vivi autem judicandi referuntur ac mortui, ut
 omnium hominum esse apud DEum cura credatur, non malè judicat S.
 Maximus, Episcopus Taurinensis, Homil. de Diversis, in Exposit. Symb.
 f. m. 240. edit. Parisin. Præcipuè autem mortuorum mentionem iniecit,
 ut ostenderet, eos in vitam revocatum iri, Deoque, licet persecutorum
 machinis in hac vita fuerint obnoxii, gratos fore & acceptos, imo ipsos
 hostes, licet superstites fuerint, manum DEi judicis nequaquam esse
 effugituros. Sed quid de illis judicandum est, quos in adventu Christi
 immutatum iri, Paulus I. Cor. XV. st. testatur? Respondeo, eos quidem
 non morituros propriè, scilicet instar reliquorum, horum enim mors
 immutationi opponitur, sed tantum ἀναλόγως, per quandam immu-
 tationem. Etenim illa immutatione anima è domicilio corporis non
 egredietur, sed anima & corpus stola immortalitatis & gloria, carnis
 tunica deposita, iuventur. Vid. B. Gerhardus in Comment. in I. Epist.

B

Petrù

Petri p. 566. & B. Scherzerus in Syst. Theol. p. 544. cum B. D. Neumanno in Theol. Aphor. p. 759. Eò digitum intendit Jo. Calvinus in Comment. in Acta f. 138. Vivorum & Mortuorum judicem fore dicit; quia ubi resurrexerunt mortui, etiam alii, qui tum erunt superstites, momento immutabuntur, quemadmodum docet Paulus 1. Cor. 15. & 2. Thessal. c. 3. Paria fermè habet in Instit. Relig. Christ. L. II. C. XVI. §. XVII. f. m. 102. Hi verò, vivi & mortui, secundum ipsorum opera, cogitata, verba, & facta, sententiam, vel secundum normam Evangelii, vel ad præscriptum legis, evangelio illustratæ, conceptam, percipient, perceptamque immutabilem fore agnoscent, ita, ut pii, fructum judicii absolutionis persentiscentes, æternis fruantur gaudiis, impii contra, judicium condemnationis subeuntes, æternis ac nullo planè sine terminandis cruciatibus & Ignominia adjudicentur, atque sic *ἀπὸ τῆς* finalis pœnas luant longè gravissimas. Fusus hæc deducta inveniuntur in Libris ac Compendiis Theologorum, gravissimum hunc articulum distincte exponentium, quæ in hac Sectione repetere haud vacat.

§. 6. Eum autem in finem hæc à Petro fuere prolata in medium, ut Cornelius cum suis exactam beneficiorum Christi sibi acquireret notitiam, atque ad Christum, summa divinitatis gloria conspicuum, utrumque oculum dirigeret, ne, si ea mente complecteretur, ac diligentius secum perpenderet, quæ de variis Jesu Crucifixi malis & miseria pronuntiaverat, ipsi scandalum præberent, sed animum haberet confirmatum vera doctrina, atque eò conmitteretur, quo regni ipsius redderetur consors, atque jura civium cœlestium indispiceretur. Consentientes habeo interpretes horum verborum, haud unos. Ita verò Matth. Flacius in Glossæ Compend. in N. T. f. 533. scribit: *Hactenus descripsit personam & actiones ac passionem Jesu, nunc ejus effectus aut beneficia, quæ hominibus post ipsius glorificationem sint expectanda, nempe quod primò sit constitutus judex vivorum & mortuorum. Deinde quod sit etiam Servator: per utrumque etiam totam ipsius glorificationem atque adeo etiam divinitatem designat. Cui addimeretur Dan. Arcularius, Theologus Marpurgensis, in Comment. in b. l. p. 417. rem omnem succincte ita tradens: Quoniam vis resurrectionis Christi, & regni illius gloria, quæ nunc in mundo obscura delitescit, in ultimo Christi adventu maximè elucebit, cum se judicem*

mundi palam est declaraturus; resurrectioni illius illustrem ad iudicium adventum subjungit Petrus, in quem auditores suos maximè vult esse intentos, Nec à scopo aberrat Job. Calvinus in h. l. f. 318. De Regno Christi tractare incipit, cum dicit, Christum ideo resurrexisse, ut mundum semel iudicet. Nam eodem jure cæli terræq; imperium, & perpetua Ecclesiæ gubernatio, illi asseritur,

Sectio Porismatica.

S. 7. Porism. I. Veritas iudicii extremi Oecumenici asserenda est. Mentio enim fit in verbis Petri, hucusq; expositis, iudicis, à DEo definiti, ut mundum universum iudicaret, cui non immerito iudicium, ab eodem exercendum, attribui debet. Etenim à nomine iudicis petitur probatio articuli de extremo iudicio rectè notat B. D. Wilhelm. Zeschius in Dissert. de Actu iudiciale in Die pantocritico, Jena A. MDCLXXXI. propositâ, p. 13. Vocatur extremum, ut à particulari, quod unusquisque, dum moritur, subire debet, distinguatur. Istud enim erit ultimum, ac immutabile Dei iudicium, in quo, qui absolvuntur, æternum erunt absoluti, ista felicitate nunquam privandi, qui verò rejiciuntur, æternum erunt rejecti, ut omnem liberationem ac salutem desperare debeant. Quamvis enim Deus variis modis & iudiciis homines & mundum exerceat in hac vita, tamen istud iudicium, quod in die novissimo exercebitur, erit omnium ultimum, ita ut post illud nullum amplius aliud sit expectandum. Hinc vocatur quoque novissimum, quia in die novissimo, Job. XII. 48. exercebitur. Hic autem est ultimus seculi dies, & vocatur novissimus, quia, quæ ultimò accidunt, ea nobis nova esse solent, uti Gerhardus T. IX. LL. Theol. p. 10. docet. Oecumenicum & universale dicitur, denominatione ab Objecto, vivos & mortuos complectente, petita. Futurum autem esse iudicium extremum, non solum Petri oraculum probat, quod causam efficientem atque objectum istius insinuat, sed etiam alia Scripturæ dicta confirmant, quæ vel integrum iudicii processum describunt, ut Matth. XXV. 31. 99. vel iudicem monstrant Matth. XVI. 27. Act. XVII. 31. Rom. II. 16. vel objectum personale denotant, Homines scilicet II. Cor. V. 10. Rom. XIV. 20. Et. LXVI.

6. II. *Tim.* IV. 1. *I. Petr.* IV. 5. ac *Dæmones*, II. *Petr.* II. 4. vel deniq; *Obiectum* reale respiciunt, univ^{er}sa puta facta & opera. *Cobel.* XII. *Rom.* II. 16. II. *Cor.* V. 10. dicta & cogitata, *Matth.* XII. 36. *I. Cor.* IV. 5 vel Normam indicant, Evangelium scilicet, atque Legem, *Rom.* II. 16. vel ipsam sententiam decretoriam, electis æterna gaudia, reprobis verò æternam damnationem *Matth.* XXV. 46. *Joh.* V. 29. denunciantem, spectant. Hinc in *Symbolo*, ceu vocatur, *Apostolico*, veritas hujus judicii insinuat^{ur}: *Christum rediturum esse ad judicium, vivorum & mortuorum causa instituendum*, ad denotandum, hunc fidei articulum vel maximè esse necessarium, ac vera fide recipiendum. Non malè autem sensum verborum, quæ in adducto *Symbolo* leguntur, expressit *Joh. Pearsonius*, in *Exposit. Symb. Apostol.* p. 540. sequentem in modum scribens: *Certissimè assertior dogmati huic, ut infallibiliter vero, æternum DEi Filium in humana illa natura, in qua mortuus est, resurrexit & ascendit ad calos, certo rediturum ab eisdem calis, ad quos ascendit, atque in adventu suo congregaturum omnes, cum qui tunc superstites erunt, tum qui unquam antehac vixerunt, mortuique sunt, eosque, coram tribunali suo stantes judicaturum, juxta opera sua in carne patrata, & sententia condemnatoria in reprobos pronunciata, traditurum eos cum Diabolo & Angelis ejus æternum cruciandos, sententiam autem absolutoriam pronunciaturum in omnes electos, eosque translaturum in regnum suum gloriosum, cujus nunquam finis erit. Atque ita credo in Jesum Christum, qui venturus judicare vivos & mortuos.* Opponenda est hæc assertio *Empiricis*, tum antiquioribus, qui Petri tempore doctrinam de extremo judicio rifu excipiebant, in quos propterea sanctus ille Vir graviter animadvertibat, II. *Epist.* III. 34. tum recentioribus, false admodum eandem perstringentibus; Nec non variis *Hereticis*, quorum nomina valdè obscura & vetustate oblitterata, *B. Gerhardus l. c. p. 64.* & *B. Quenstedius in Syst. Theol. P. IV. c. XIX. f. 613 sq.* commemorant. *Lutheranæ* verò *Ecclesiæ*, quà meliorum est partium, *Doctoribus* eandem in hunc usque diem probari, neque ab iisdem vel directè, vel indirectè, impugnari, quicquid *Pontificiorum* & *Reformatorum* nonnulli excipiant, idem *Gerhardus l. c. p. 65. 199.* cum *B. Brochmundo Syst. Theol. T. II. p. 7020. 199.* dedit evictum. Huic autem doctrinæ, in sacris literis traditæ, & *Art. XVII. Aug. Confess.* repetitæ, ipsius Christi verba nequaquam contrariantur, Quando enim docet, *incredulos jam esse judicatos, Joh. III. 18.* tantum ad divinum de-

eretur, in verbo manifestatum, & incredulis promulgatum, respicit, non verò ad ipsius executionem, quæ in die novissimo sequetur, & manifestabitur, nisi vera fide Christum quæsierint invenerintve. Eadem ratione, fidei scilicet Analogiæ maximè congrua exponenda sunt reliqua, quæ vel asserunt, *Christum nullum judicaturum esse, Job. IIX. 15. vel judicium mundi sua ætate institutum, ac mundi principem foras ejectum fuisse, Job. XII. 31.* Illa enim docent, Christum in primo suo adventu neminem unquam judicavisse, *Job. XII. 47.* non vero propterea ipsi, secundum, eumque majesticum, adventum instituturo, judicium derogant. Hæc verò innuunt, mundum, ejusque principem *inchoativè, hic esse judicatum, & potentia sua privatum, in extremo judicio verò consummativè ad judicium vocatum, ac planè pleneque destructum iri.*

S. 8. *Poriam, II. Veritas judicii extremi ex solo Dei verbo est haurienda.* Ignorat enim *Lumen Naturæ* ipsum Christum, *judicem vivorum & mortuorum.* Ignorat deinde, illum à Deo esse definitum, atque illustri huic officio destinatum. Ob hasce igitur rationes divinum tantum Verbum de hora novissima nos potest erudire. Breviter ac succincte *B. Gerhardus l. c. p. 2.* hac de re differit, cujus verba hic apponere, meisquæ præferre, malo: *Quamvis gentiles quasi per obscuram nebulam ac transennam de extremo judicio aliquid viderint, vel quia justitiam divinam tale judicium requirere prudenter collegerunt, vel quia ex dictamine honestorum & turpium menti humana divinum insitio & ex propria conscientia testimonio convicti sunt, boni tandem boni, malis verò male futurum, vel quod verisimilius, quia fama doctrina in Ecclesia sonantibus, ad ipsorum aures pervenit, tamè cognitio illa est non tantum imperfecta, quia Christum omnium judicem constitutum penitus ignorarunt *Ath. 17. 31* &c. Nec dissentit *B. D. Polyc, Lyserus, in Dec. II. Dissert. Theol. ex Symb. Apost. Art. Sec. Diss. X. th. II. vitemb.* cum ibidem Professore Theologiæ extraordinarium ageret, A. MDCXIII. propositâ, asserens, judicii extremi *græcè naturalem ipsam rationem gentilium animis impressisse, Scripturam tamen multò certius hoc confirmare & tale aliquod judicium referre, asserere, atque veris in locis certitudinem ejus immortam sancire.* Equidem nonnulli Theologorum, existimantium, gentiles judicium extremum agnovisse, provocant ad exemplum *Felicitis*, cujus judicium ipsum Paulum subire oportuit, valde trepidantis, cum captivus hic de justitia, castitate, & judicii universalis certitudine, differere incepisset, *Ath. XXIV. 27.* inde inferentes,*

Gentiles ex dictamine rationis novisse, iudicium certò futurum. Verum, quamvis illos confusam notitiam istius habuisse inficias ire haud velim, tamen circa allatum Præsidis Cæsareensis exemplum moneri posse existimo, eundem contremuisse, cum Paulum verbum divinum magna cum *παρρησία* interpretantem audivisset, Deumque æternum exitium injustis minitari, cognosset. Hinc, meo iudicio, magis verbi prædicati vis & efficacia erit agnoscenda, quippe cui tam vehementes terrores tribui debent, quam hominis irrogeniti conscientia, parum sufficienter instructa, attendenda. Qua in sententia me confirmat B. Schertzgerus in Breviario Hülfemann, enucleato p. 336. ita scribens: *Quod Felix semel iterumque Paulum audiens tremefactus est, Act. XXIV. 22. 25. 27. non timor mere naturalis, sed per Spiritum DEI (ex prædicatione Paulina) excitatus fuit. Nec dissentit Guil. Saldenus Otior. Theol. L. IV. Exercit. IX. p. 769. Sensus qualem, cunque naturalis conscientia, doctrina Pauli excitatum, habuit ostendit.*

§. 9. *Porism. III. Causa efficiens iudicii huius est ipse DEUS, non verò Homo.* Ab ipso enim DEO definitus est iudex. Jam verò, si à DEO Iudex quidam est constitutus, necessariò inde sequitur, potestatem iudicium exercendi non Homini, nec Angelo, sed soli DEO, esse vindicandam. Et sane DEUS verus, qui unus est in essentia; ac trinus in personis, opus hoc, quod extra Deitatis sinum terminatur, sibi tribuere potest, quemadmodum in sacris litteris de eo quoque prædicatur. Ita enim *Deus vocatur iudex omnium, Hebr. XII. 23.* eidemque iudicium attribuitur. *Rom. II. 16.* cui propterea, ut iudici iusto, Christus causam suam tradidit, *I. Petr. II. 23.* Eò respicit Paulus, *DEUM* nominans, qui diem iudicii statuit, ordinavitque, *Act. XVII. 31.* Loca reliqua V. T. consultò prætermitto. DEi Filio secundum divinam naturam idem deferri munus, facile probari potest. Vocatur enim ab Abrahamo, cui tunc temporis apparuit, *Iudex universalis Gen. XIX. 25.* Deinde cum Patre ejusdem est essentia ac potentia, adeoque idem jus ipsi derogari nequit. Quod verò secundum humanam naturam quoque iudicium sit acturus, paulò post declarabo. *Spiritus* verò *Sanctum* quod concernit, is non tantum *Spiritus iudicii Es. IV. 4.* vocatur, sed etiam jure, *mundum iudicandi,* conspicuus esse dicitur, *Job. XVI. 8.* Quamobrem cum Patre & Filio in die illo cenforio iudicabit omnes, quia omnibus Deitatis personis *διναπὸς κριτικῆς* æqualiter competit, quippe quæ unam habent essentiam, atque easdem proprietates essentielles, hinc

ſingulis omnſcientia, omnipotentia, juſtitia, omnipreſentia, majeſtas & gloria, cum cultu adorationis, attribui ac deſerri debent. Tantum verò abeſt, ut ullus hominum ſibi eandem poteſtatem vindicet. Omnis enim homo pertinet vel ad vivos vel ad mortuos, quibus tantum in jus erit eundum, ad audiendam ſententiam decretoriam. Valdè itaque deliravit in Gallia tempore *Conradi II.* *Euno* ille, homo perfrictæ frontis, qui ſe futuri judicii præſidem fore ſomniauit. Meminit ejus, nec non ſupplicii, eidem irrogati, *Carolus Sigonius* de Regno Italia

L. XI. f. 282. ſq. hiſce verbis: *Euno* natione Brito, ignorantie ſui nominis, cum vulgo *Eun* diceretur, ſe eſſe illum dicebat, de quo in Eccleſiaſtice Exorcifmu dicitur, Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & cum ſocios erroru ſui multos aſciviſſet, eorum aliquot diſcipulos appellabat, & ſpecioſa eiſ nomina, Sapientiam, Scientiam & Judicium, impoſuerat, atque Eccleſis Gallia infeſtus ac formidabilis huc atque illuc eum ingenti hominum multitudine volitabat. Captus autem ab archiepiſcopo Remenſi, atque in conſpectum Conſilii datus eommuni conſenſu perpetuo carceri eſt additus. Diſcipuli ejus mori, quam corrigi maluerunt. Varios autores, idem de *Eunone*, qui in carcerẽ per eum datus fuit, & mox in illo exſpiravit commemorantes, adduxit *Dn. D. Job. Cyprianus*, Profeſſ. Lipſienſis clariffimus, in *Diſſert. inaug. de Vocatione Hominum univerſali* ex *Act. XVII. 30. 31. Lipſ. An. MDCLXXIIX. propoſita, S. 32.*

S. 10. Porism. 1. *Judex futuri judicii eſt Jeſus Chriſtus.* *Φιλάνθρωπον* quidem judicis partes haud eſſe ſubiturum, modo indicatum fuit, verum *Θεάνθρωπον* illud officium executurum eſſe, facilimo negotio poterit probari. Dicitur enim *Jeſus Chriſtus* v. 38. *Judex eſſe definitus.* Jam verò ſecundum humanam naturam unctum fuiſſe conſtat, quemadmodum etiam eidem, non ſecundum divinam naturam, ſed ſecundum humanam tantum, hanc poteſtatem in tempore datam fuiſſe conſtemur. Scopus deinde iplius Apoſtoli diligentem meretur conſiderationem. Is enim eò tendebat, ut oſtenderet, Chriſtum, exantlato ſtatu exinanitionis, fuiſſe reſuſcitatum, atq; aliquando in ſtatu exaltationis iri manifeſtatum. Jam verò Status exaltationis, ad quem tum reſurrectio ejus, tum reditus ad judicium pertinet, eidem non ſecundum divinam, quippe quæ exinanitionem & exaltationem ſubire haud potuit, ſed ſecundum humanam naturam, tribuitur, adeoque ad hanc quoque nunc eſt reſpiciendum. Ob eandem rationem vocatur *Viv.* ad denotandam ejus humanitatem, *Act. XVII. 31.* quia in aſſumta humana natura viſibiliter judicium hoc adminiſtrabit.

Ulterius vocatur Dominus, I. *Theff.* IV. 16. quā divinam non solum, sed etiam quā humanam, naturam, *Act.* II. 36. *Judicis* deinde descriptio, in sacris literis tradita, evidenter satis docet, eundem in humanitate judicium esse administraturum. Quando enim dicitur de caelo descensurus I. *Theff.* IV. 16. *Senturus in nubibus caeli* *Matth.* XXVI. 64. *sessurus super sedem gloriae*, *Matth.* XXV. 31. *conspiciendus ab omnibus*, *Matth.* XXIV. 30. *ante ipsius tribunal statuendus*, II. *Cor.* V. 10. *electos & damnatos compellaturus*, *Matth.* XXV. 34. 35. 41. 59. nonne haec talia sunt praedicata, quae non nisi de Christo, quā homine, enuntiari possunt? *Officium* deinde Christi, quod in Petri verbis haud obscurè insinuatur, scilicet *Propheticum & Regium*, ad humanam quoque ejus naturam respicere nos jubet. Populo enim fuit ab Apostolis sermō & diligenter annuntiatum, Christum fore *judicem vivorum & mortuorum*. Utr reliqua non attingam argumenta, quae in Systematibus Theologorum ordine adducuntur, huic assertioni inseritura. Quapropter ea hic repetere placet, quae B. Gerhardus in *Comment.* in I. *Epist.* Petri p. 552. circa hoc dogma annotavit, quaeque cum eis amicè conspirant, quae in T. IX. LL. *Theol.* p. 74. scripserat: *Potestas faciendi judicii competit omnibus tribus Deitatis personis, nat' αὐτοκρατορίας & nat' εὐδοκίας propter ὁμοσίαν.* Ut enim trium divinitatis personarum est una & aequalis essentia, ita quoque una eademque potentia; interim tamen nat' διανομιαν Christo *θεανδεωτα* *judici mortuorum & vivorum divinitus constituto*, peculiariter in scripturis tribuitur. Is enim *judicium* hoc in assumpta *Natura humana visibiliter & immediate administrabit*. Toti *Trinitati* tribuitur *judicium*, quoad potestatem *judiciariam*, *dominium*, *auctoritatem & decretum*. Filio peculiariter assignatur, quoad *visibile & externum exercitium*. Cum Gerardo consensit B. Bechmannus in *Annot.* in *Hutterum* p. 859. & B. Dietericus in *Instit.* *Catech.* p. 492. cujus verba B. D. Michael Sivicius, Theologus olim Hassio-Megapolitanus, in *Notis MSS.* quibus *Novi Testamenti Libros* illustravit, & quarum inspiciendarum copia mihi facta fuit, notatu non indigna judicavit. Patrum ac Doctorum veteris Ecclesiae sententias prolixè adduxit sapius nominatus *Gerhardus l. c. p. 80. 599.* cum G. Calixto in *Libro*, quem de *Supremo Judicio* adornavit, p. 108. 599. *Iis autem repetendis hic merito superfedeo, contentus verbis*

verbis *S. Maximi*, Episcopi Taurinensis, quibus haud parum ponderis inesse haud vanè arbitror. Ejus enim *tant a facundia, tantum studium in rene Christianam fuit, ut vulgata ejus homilia digna sint meliori luce, prout Jo. Mabillonius in Musci Italici T. I. P. II. Praef. satis concinne loquitur.* Ea verò hunc in modum *L. c. f. 240.* legi possunt: *Neesse est, ut hominum genus ille dicentiat, qui creavit, & ipse judicet, qui redemit: Factum est, ut omnipotens Dominus mortales suos, quos divinitatis virtute formavit, patri pietate salvavit, judicii examinatione discernat. Nam quid esse potest equius apud Deum, quam ut, quorum in seculo suis vita diversa, eorum, post hoc seculum, merita distinguantur?* Notanda verò hæc est doctrina, tum adversus Pontificios, tum adversus Calvinianos. Illi enim docent, Christum tantum secundum solam humanam naturam judicem fore. Hi verò asserunt, Eundem judicem quidem futurum, secundum humanam naturam, eidem tamen mere humana opera in ipsius judicii executione esse adscribenda. Horum itaque rationes, quas pro erronea hac sententia proferre solent in medium, paulò pressius examinabo. Dum verò illi secundum solam humanam naturam à Christo judicium exercitum iri somniant, ita ut ab hominibus tantum exterius videri queat, sanè hoc ipso, dona illa infinita ejus humanæ naturæ tributa fuisse, negant, imò negant adversus expressam scripturæ literam, eum cum potentia & majestate reditum istum ad judicium esse institutum. Quapropter non solum ad judicis visibilitatem hic nobis respiciendum est, quando ἐξουσίαν ποιεῖν κρίσει Christo deferendam esse docemus, sed omnes ac singuli judicii actus insimul sunt arcessendi, ita ut sit omniscius, respectu judicandorum, prius suscitandorum, justus judicatos vel præmiandi vel puniendi, vel majestaticus, ut omnes gloriam ipsius cognoscant ac revereantur. Hæc verò omnia humanæ Christi naturæ à divina natura concessa ac tributa esse, fide indubitata credimus, atque hinc adversus dissentientes defendimus. Christum non solum secundum humanam, sed divinam etiam naturam, judicis partes in se esse suscepturum. Dicitur enim Petro esse à DEO definitus judex, adeoque divina ejus natura humanæ ipsius naturæ concessit divinam potestatem, judicium exercendi œcumenicum. Vocatur quidem à Paulo *Vir, Act. XVII. 31.* eò quod in humana natura sit appariturus. Verum humana Christi natura du-

C

plici

plici modo considerari potest, vel ut est *in actu naturali*, vel in *actu personali* constituta. Secundum priorem acceptionem vocatur *Christus Vir*, eò quod humanæ substantiæ in utero virginis matris sit particeps redditus, secundum posteriorem acceptionem verò iudicium instituet, ita ut humana ejus natura non tantum se conspiciendam præbeat judicandis, sed etiam Deitatis conjunctum sit organon, & agat per vim primarii agentis, nempe λόγος, qui cum assumta humana natura commune facit ἐσθέρηματα. Vid. B. D. Kappoltus in *Opp. Theol. P. I. p. 274. sq.* B. Gerhardi *T. IX. LL. Theol. p. 90.* & B. Quenstedtius in *Syst. Theol. P. IV. f. 621.* Ad hosce autem, qui *Calvini* sequuntur dogmata, deveniens, nolo jam *Neostadensium*, *Danai*, aliorumque, qui horum dediti sunt partibus, verba, à laudatis *Viris*, *Gerhardo* & *Quenstedtio*, adducta, denuo hic repetere, sed recentiores modo quosdam sistam, quo singulis manifestum evadat, antiquorum placita hodierna ætate nondum fuisse rejecta. Ita verò *Herm. Witsius Exercit. XXII.* in *Symbol. Apostol. p. 403.* scribit: *Judicium exercebit Christus secundum utramque naturam. Divina conferente divinam majestatem, scientiam, potentiam. Humana actus judicandi visibiliter & audibiliter exercente.* Nec alienus ab hoc errore est *Philippus Otto Vietor*, Proto ecclesiastes *Aulæ Casselanae*, in *Expositione Pericop. Dominic. & Festivalium* (variis erroribus contaminatissima, ac propterea cum grano salis legenda,) p. 30. hisce verbis usus: *Des Menschen Sohn wird richten / aber nicht aus menschlicher Gewalt / sondern aus der rer / die ihm / als dem Sohne Gottes / zukommt.* Verum, hac ipsa assertione *Calviniani* in *Nestorii* incidunt casses. olim docentis, unamquamque naturam in *Christo* pro se actiones suas sine communicatione alterius exercere. Deinde negant, opera officii *Christo* secundum humanam naturam competere, atque ipsi potestatem iudicium faciendi esse concessam. Imo *Christo* tantum sententiæ decisoriæ promulgationem attribuunt, qualis in iudiciis per *Notarium* aut alium ministrum fieri assolet; Ut non dicam, humanam *Christi* naturam tantum ut arundinem considerari, per quam sonus transmittitur, atque

atque adeo eidem potestatem judicariam penitus derogari ; nec non Christo homini non plura ac majora attribui , quam quæ ipsis Apostolis & reliquis sanctis adscribi solent. Quapropter eisdem hanc opponimus Thesin : *Non solum naturam divinam , sed Christum in assumpta , & per assumptam naturam suam , quo cognatus & frater noster est , esse judicaturum , non executive , & instrumentaliter , sed autoritative & principaliter , propter quosdam cum Patre & Spiritu sancto , & potentie atque inde resultantis Æternitatis non divina tantum essentialiter , sed humana quoque natura personaliter competentis identitatem.* Conf. B. Jo. Försterus in *Thesaur. Catech. Dec. IV. Symbol. Apost. Probl. X.* Gerhardus l. c. p. 90. sqq. B. Menzerus T. II. Opp. p. 271. sqq. B. Feurbornius in *Fundament. Deduct. Marpurg. f. 225. sq.* B. Carpzovius in *Dissert. Isagog. in Chemnitium p. 942. sq.* B. Rappoltus in *Opp. Theol. P. I. p. 245. sq.* Quenstedtius l. c.

§. II. *Porum. V. Testes hujus Judicii erunt Apostoli.* Fluit hoc ipsum ex verbis Petri , docentis , Apostolos testimonium dicere debere de Judice vivorum & mortuorum. Dum autem in munere Apostolico testium vicem subire debuerunt , quidni ut testes judicii Oecumenici essent considerandi , præprimis cum ipsa scriptura dicat , eos mundum & tribus Israelis esse judicatos. *Matth. XIX. 28. Luc. XXII. 30. I. Cor. VI. 23.* Quamvis enim judex supremus ipsorum testimonii non indigeat , tamen ejus gloriam haud parum augebit , si & hi Doctores , qui fidele ministerium in hac terra ei locarunt , in ipso die novissimo ejus sententiam approbaverint , piorum opera bona , ex fide perfecta , commendaverint , atque exemplo constantiæ suæ malos rejecerint. Conf. *Quenstedtius l. c. f. 608. sqq.* In negativam quidem propendet sententiam *Hermannus Witsius l. c. p. 407.* existimans , de judicio supremo hic non esse sermonem , verum non video , qua ratione à litera textus recedendum sit , quapropter eidem insisto , atque *Witsio Abrah. Heidanium , in Corp. Theol. Christ. p. 196.* eandem sententiam defendentem , oppono.

§. 12. *Porism. VI. Judicandi erunt ipsi homines.* Eos enim per vivos & mortuos intelligit Apostolus, quibus Evangelium erat annuntiandum. Quapropter ad eos quidem tantum respicit, irracionales creaturas excludens, non verò propterea malos Angelos huic solenni iudicio subtrahere vult, de quibus constat, quod ipsorum culpa & poena in die novissimo sit publicanda, *Matth. XXV. 41* gravissimumque illorum supplicium nullum prorsus finem habiturum. *Homines* igitur quod attinet, illi omnes, ne uno quidem excepto, comparebunt, *Matth. XXV. 32. II. Cor. V. 10. Apoc. I. 7.* Non solum pii, quibus diligens precum studium est commendatissimum, *Luc. XXI. 36.* & verè credentes, quibus reposita est corona justitiæ, *II. Tim. IV. 8.* sed etiam impii, *Rom. II. 5. Thess. I. 8. 9. Apoc. XI. 18. Matth. XI. 22. 23.* quibus ipsum *Anti-Christum*, (specificè sic dictum, à *Dan. C. XI. 36. seqq.* descriptum) adjungimus, *illustri adventu Christi destruendum. II. Thess. II. 8.* Præterea *magnos & pusillos Apoc. XX. 12.* iudicatum iri rectè docemus, ut nec parvulos, sine baptismo demortuos, ab hoc iudicio excludendos esse statuamus. Hi verò homines, vel iudicium *absolutionis*, vel iudicium *condemnationis*, subire habebunt necesse, prout fides ipsorum, per bona opera declarata, cognita fuerit atque perspecta. *II. Cor. V. 10. Marc. XVI. 16.*

§. 13. *Porism. VII. Norma in iudicandis hominibus erit verbum prædicatum.* Ad hoc respicere nos jubet ipse Petrus, qui de se ipso, aliisque Ecclesiæ Doctoribus, testatur, quod hoc prædicare debeant populo, Christum fore iudicem vivorum & mortuorum. Ecquem autem in finem verbum hocce hominibus erat annuntiandum, nisi ut ex illo veram conciperent fidem, atque Christi beneficiorum redderentur participes, ne, si istud haberent despiciatui, aliquando condemnarentur. Spectat enim huc Christi verbum *Joh. XII. 48. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet ipsum; Verbum; quod locutus sum, (vel immediate, vel mediate) illud (inquam) iudicabit illum in extremo die, (quò manifestum fiat, ceu B. D. Sebast. Schmielke in Paraphrasi Verborum Evangelii Johannis, p. 144. verba hæc exponit,*

nit, quod hic tam clarus fuerit, ut non nisi per malitiam ei repugnatum fuerit) *Evangelium igitur meum*, lubet enim *B. D. Luca Osiandri* explicationem, quæ p. 1094. invenitur, hic repetere, *contra ipsos* (per accidens) *mortis æternæ sententiam feret; quod videlicet oblatam gratiam respuerint & prorsus rejecerint.* Cui Pauli addi meretur sententia, quæ *Rom. II. 16.* ita sonat: *Judicabis occulta hominum Deus, juxta Evangelium meum, per Jesum Christum.* Per illud autem intelligit doctrinam suam, quam cum reliquis Apostolis prædicaverat, Christum redituum esse, ad judicandum vivos & mortuos. Hoc tamen discrimen hic agnoscendum esse, Doctores tradunt, *pios* tantum juxta normam *Evangelii* judicatum, eis decretum prædestinationis manifestatum, atque sic illos in æterna gaudia introductum iri, *impios* vero juxta *legis*, *Evangelii* luce collustratæ, normam reprobaturum, atque horrendis pœnis involutum iri. Horum itaque respectu sequentem struunt Syllogismum. *Qui est peccator, obnoxius erit damnationi. Qui non credit in Christum, peccator est. Ergo, qui non credit in Christum, damnationi erit obnoxius.* Majoris veritatem confirmat ipsa lex. Minorem autem illustrat ipsum *Evangelium*, sola enim lex, & per se considerata, Christum planè ignorat, & propriam exquirat satisfactionem, quemadmodum & illa nec novit, nec formaliter arguit incredulitatem, propriam & adæquatam damnationis causam, sed perfectionem omnimodam postulat. Jam verò *Evangelii* luce collustratur, dum scilicet omni verbo atque sic *Evangelio* quoque Christi, credendum esse jubet, hinc, præter reliqua peccata in genere, incredulitatis quoque vitium in specie arguit reprehenditque. Sequentem itaque in modum Lex, *Evangelii* Luce collustrata, terminos colligit: *Quicumque non permanserit in omnibus verbis legis, ille est maledictus. Hæc enim summa legis est, Gal. III. 10. Atqui, qui non credit in Christum, verum Deum, is non manet in omnibus verbis legis.* Ita enim *Evangelium* ex Christi verbis infert. *Ergo, Secutus sum hac in re B. D. Gerhardum T. IX. LL. Theol. p. 159. sq.* ejusque genuinum discipulum, *B. D. Wilh. Lyserum, in Systemate Thetico. Exegetico* perbellè eandem deducentem,

p. 393 & p. 1823. sq. nec non B. Scherzerum in *System. Theol.* p. 599. Nec ineleganter de hoc argumento differit Dn. D. Joh. Bartholinus in *Elementis Theologicis* p. 283, cujus verba hic silentio praterire nolo; *Absolutio fidelium fiet ex Evangelio, sententiam decisoriā approbante Lege, cui merito Christi satisfactum. Increduli verò damnabuntur ex lege, sententiam decisoriā approbante Evangelio, quia non remedium peccati quaesiverint in Evangelio.*

§. 14. *Porism. II. X.* *Judicium exercebitur gloriosè, Ipsum enim Judicium, quod moderabitur definitus ille à DEo Judex, ad eum pertinet statum Christi, secundum quem intravit in gloriam, prout ipse, è mortuis resuscitatus, jam tum ejusdem particeps fuit factus. Hinc ipsius apparitio vocatur *ἡ φάσμα & δόξης Tit. II, II*, utpote *venturi in nubes, virtute & gloria magna, Luc. XXI. 27.* Hæc autem gloria virtus Dei est, *Luc. XXII. 69. Gloria magni Dei, Tit. II, 13. Gloria robori Domini, II. Thess. I. 9.* Hæc itaque virtus & gloria, in quo Judex hic veniet, non finita & creata est, sed infinita & increata, qua ut homo, unctus & ditatus fuit, atque glorificatus. *Act. X. 38. Joh. XVII. 5. Leg. B. D. Justi Feurbornii Opp. Theol. p. 1451.* Et nonne gloriosus dicendus esset Judicii hujus actus, cum Judex venturus sit, magna Angelorum cohorte stipatus? *Matth. XXIV. & XXV. 31.* Imo omnes eum sint laudaturi, genuaque coram ipso flexuri? *Rom. XIV. 10. 11.* Ipse deinde *finis & effectus* extremi judicii gloriosum Christi adventum fore monet, qui *pe qui, notante B. Gerhardo l. c. p. 163. sq. manifestabit ipsius majestatem, sapientiam, benignitatem, justitiam & potentiam, ab omnibus electis celebrandam. Ferit hæc sententia illos, qui asserunt, in forma servi eum esse appariturum, quam explodit Gerhardus l. c. p. 97.**

§. 15. *Porism. IX.* *Judicium instituetur visibilter.* Quamvis enim omnis populus Christum, è mortuis resuscitatum, videre haud potuit, tamen eundem videbunt omnes, quando scilicet judicium erit institutum, eum puta in finem, ut agnoscant, Messiam verum esse DEum, ac divina opera præstiturum. Hic scopus erat Petri, Christi divinitatem & beneficia tunc temporis adstruere volentis, Confirmat deinde assertionem hancce ipsorum Angelorum effectum, qui cum

Christus adscenderet in caelos, dicebant, illum *εως*, scilicet visibiliter, esse rediturum, prout eodem modo, Apostolis spectantibus, in caelum tuit sublatus, *Act. l. ii.* Imo ipsa veritas, Christus, expresse dicit: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum virtute & gloria magna. Luc. XXI. 27.* Spectant huc ipsa vocabula *επιφάνεια, παρουσία, φανέρωσις, αποκάλυψις τῆς δόξης*, passim obvia, quæ visibiliter iudicium institutum iri docent. Imò omnes homines non tantum videbunt iudicium, sed etiam audient decretoriam sententiam, pii gaudium, impiis verò terrorem, allaturam. Exercebit itaque hic iudex illud iudicium tum *ὄρατός*, tum *ἀκροατός*, ut rectè *Gerhardus l. c. p. 74.* cum *B. Carpzovio. in Isag. in LL. Symbol. p. 470.* docet. De eo quidem nonnulli dubitare volunt, quod sententiæ promulgatio voce externa ab omnibus audienda sit futura, hinc *Abrah. Heidanus in Corpore Theol. Christiana P. II. p. 599.* τὸ *επέχειν* amplectitur, alii tamen existimant, veritati magis consentaneum esse, si dicatur, verba ab omnibus audienda exterius iri prolatum. Vid. *Gerhardus l. c. p. 157. sq. & B. D. Joh. Meisneri Dissertatio Theologica, de Novissimis, Vitemb. A. MDCLXXV.* ventilata, cuius *Corollarium IV.* sonat: *Judicium extremum à Christo iudice exercebitur verbis probabiliter ἀκρόσις.*

§. 16. *Porism. X.* Evangelii præconium inter signa iudicii extremi antecedentia referri meretur. Varia indicantur à Theologis nostratis Ecclesiæ signa diei extremi, tum remota, tum proxima, quæ quidem repetere ac fusius discutere nolo, ad illud tantum respiciens, cuius in verbis Petri mentio injicitur. Dum autem universalem per totum terrarum orbem prædicationem, Apostolis inunctam, in iisdem adduci deprehendo, haud abs re in eam devenio sententiam, illam inter signa oecumenici hujus iudicii commodè satis referri posse. Eum siquidem in finem illud annuntiabatur, ut omnes in Christum crederent, antequam decretoria hora audiretur, quò constitutus ille à DEO Iudex eò melius iudicium exercere posset, vel homines absolvendo, vel rejiciendo. Postquam autem illud præconium ab Apostolis factum est, atque novum expectari haud debet, ceu opiniosissimi homines, quorum seculum præsens est feracissimum, somniant, adversus

qvos erudite calamum strinxit celeberrimæ famæ Theologus Vitembergenſis, nunc inter cœlites degens, *Dn. D. Joh. Georgius Neumannus*, in *Differt. Anti-Chiliaſtica ex Matth. XXIV. 14. de Præconio Evangelii ante diem extremum ſolemniſter iterando*, A. MDCXCIX. conſcripta, patienter diem illum ſolemneſt præſtolari decet, uſque dum is, ex voluntate DEi, advenit. Haud diſplicet *Caroli Mariae du Veil* cenſuram afferre, quæ in *Comment. in Acta Apoſtol.* p. 220. legitur, atque hætenus dicta haud parum illuſtrat: *Ne quis exiſtinet, Apoſtoliſ quidem illa fuiſſe revelata, qua cogniti erant neceſſaria ipſorum ætate, ſed aliã præterea eſſe, qua ſequentibus ſeculis DEum reſervare voluerit. notandum eſt, Dominum JEſum, qui hic dicitur fuiſſe Apoſtoloſ omnibus annuntiare, ſe à DEo conſtitutum eſſe judicem vivorum ac mortuorum, prædiſſe Matth. 24. v. 14. Evangelium, per quod judicaturus eſt orbem, annuntiatum iri in univerſa terra, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus, Et tunc venturum finem. Quo ſpectant etiam hæc Pauli verba, DEum judicaturum occultã hominum ſecundum Evangelium per JEſum Chriſtum, Rom. 2. v. 16. Non ergo per aliquam perfectiorem doctrinam, aut revelationem.*

§. 17. *Porifm, XI Judicium extremum frequenter eſt annuntian- dum.* Etenim, dum ipſis Apoſtoliſ injunctum fuit, ut populo intimarent, judicium aliquod univerſale inſtitutum iri, quidni noſtra ætate ab ordinaris verbi divini Præconibus, qui eſti non ratione Apoſtolatus, tamen reſpectu doctrinæ, divinitus traditæ, ipſorum ſunt ſucceſſores, idem argumentum diligentiffime eſſet explicandum? Iſtud enim tum ad veram fidem in Chriſtum JEſum ducit, tum à vitæ impietate dehortatur, tum ſuaviſſimum ſolacium hominibus, cum iniquitate fortunæ colluctantibus, inſtillat, ut non immerito crebram ejus mentionem facere debeant fideles Eccleſiæ Chriſti Miniſtri. Multum penſi hoc fuit magni nominis Theologo, *B. Gerhardo, T. IX. LL. Theol. p. 277.* ad Petri noſtri reſpicienti verba, atque ita commentanti: Ergo præcipua pars officii Eccleſiæ doctõribus commiſſi in eo conſiſtit, quod judicii extremi memoriam auditoribus ſuis ſedulo inculcare debeant. Nec laude ſua defraudandi ſunt Viri, de cœtibus Chriſtianorum ſibi commiſſis bene meriti, *Joh. Matthæus Meyſartus, Theologus Coburgenſis (*), Chriſtophorus Porſchius, Elbin-*

*) Edidit hic *Norimbergæ A. MDCXXXII.* Libros, hæc epigraphe conſpicioſ: *Das jüngſte Gericht in zweyen Büchern auff Hiſtoriſche Weiſe beſchrieben.*

Elbingensium Pastor (***) & Christianus Klemmii, Sacerdos Döbeliensis, qui luculentis Scriptis doctrinam hanc exposuerunt, dignis, quæ in Ecclesia ab auditoribus & Doctoribus creberrimè evolvantur. Cum verò ultimum eorum Textus Evangelicos argumento huic, quod extremum iudicium pertractat, iverit consecratum, atque methodo *Geieriana*, (quippe qui erat mellifui hujus Doctoris & diligens auditor & felix imitator) exposuerit, haud exiguo cum fructu illius meditationes, hanc ferentes Inscriptionem: Der große Gerichts-Tag (aus allen Sonn- und Festtags- Evangelien gezeigt. Nürnberg A. MDCCIV.) Diebus Dominicis ac festivalibus in subsidium vocari poterunt. Verum, hisce Consecrariis. Doctrinam de extremo iudicio illustrantibus, atque è verbis Apostoli fluentibus, alia adhuc superaddere placet.

§. 18. *Porism. XII. Jesus Christus est verus Deus.* Ei enim tribuitur administratio universalis illius iudicii, quæ omniscientiam & *καθολικότητα* requirit, atque sic non mero homini, sed illi, qui verus Deus est, I. Sam. XVI. 7. competit. Conf. B. Gerhards *Annotat. in Acta*, p. 358. edit. recent. Hamburg.

§. 19. *Porism. XIII. Christo attributa divina deferenda sunt.* Supra probatum fuit, Christo secundum humanam naturam potestatem iudicium exercendi competere. Recte igitur *πορισματικώς*, ut B. Gerhardus T. IX. LL. Theol. p. 83. loquitur, colligi potest, idiomata divina ejusdem humanæ naturæ haud esse deroganda. Etenim ejus omniscientia probari potest ex occultissimarum rerum manifestatione, ab eodem in die novissimo instituenda. I. Cor. IV. 5. *Quicquid in occultissimis terra cryptis & cavernis ab impiis fuit commissum, illud omne in aprica luce conspicietur, neque solum conspicietur, sed etiam impios, coram tribunali Christi, accusabit*, gravissimè scribit sanctæ memoriæ Vir, B. Gerhardus l.c. p. 136. Eidem deinde deferenda est omnipotentia, quam exeret in hominum, ex mortuis resuscitatorum, ad tribunal vo-

D

catione,

(**) Exposuit hic XXX. Homiliis integrum fidei hujus articulum, Lips. A. MDXCVI. prout inscriptio earum docet: Der allerkräftigste Herzens- und Gewissens- Weckers oder gründliche Erklärung des Jüngsten Gerichts/ in XXX. Wochen- Predigten vorgefisset.

catione, & congregatione, sententiæ decisivæ promulgatione, cum efficaci ejusdem executione conjuncta. Inde dicitur venturus cum *gloriosa potentia*, II. *Thess.* 1. 9. Idem de reliquis attributis, *justitia*, *veritate*, & *omnipræsentia*, est pronuntiandum, prout fufius à *B. Gerhardo l. c. p. 85.* est ad liquidum deductum. Negat quidem hoc ipsum adversus *Gerhardum*, quem nominat, adductus *Abrah. Heidanus l. c. p. 594.* atque optimum hunc Theologum, carni Christi omnipræsentiam adscribentem, *hallucinari*, *mirabili ratione* assertionem suam probare, *portentosas opiniones* fovere, asserit, verum *bonus ille Vir non hallucinatus*, sed ea tradit, quæ in sacris literis fundamentum habent, hinc per mirum mihi videtur, quod ejus probationes, è diviniore scriptura petitas, cum *portentosis opinionibus*, paria facere, & *ἐπιμαρ* nomine dignas esse, judicat. Verum, licet vel centies sententia nostra adstruatur & vindicetur, tamen hoc hominum genus, quod realem idioma-tum communicationem negat, & rationi plus justo indulget, eidem nunquam fidem accommodabit.

§. 20. *Porism. XIV. Christo, qua homini, competit dominium in homines.* Fluit hoc è textu, qui asserit, Christum esse *judicem*, constitutum à Deo *vivorum & mortuorum*. Hocse ergo dum judicaturus est, hoc ipso eidem jus aliquod ac Dominium in homines est attribuendum. Eò respicit *D. Paulus Rom. XIV. 9.* hisce verbis: *In hoc Christus & mortuus est, & resurrexit & vixit, ut tam mortuis quam viventibus dominetur.* Et hocse propterea eum in die judicii confessuros & laudaturos esse, paulo post, verba Prophetica adducens, confirmat: *Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi slectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Nec à vero aberrat modo laudatus *Carolus Maria du Veil*, l. c. ita commentans: *Judex ex Hebraorum consuetudine declarat hoc loco talem Judicem, qui simul principatum & potestatem in eos, quibus datus est, obtinet.* Unde *Rom. 14. v. 9.* in hunc finem dicitur esse mortuus ac revixisse, ut *suppreum dominium cum summa potestate conjunctum haberet, tum in animas mortuorum, tum in corpora simul atque animas viventium.* Præprimis autem in die novissimo exercebit Dominium, ut omnes, audita voce illa: *Surgite mortui, & venite ad judicium!* præsto esse, atque sententiam decisivam audire

audire oportuerit, hinc electi statim, ad nutum hujus Domini, intrabunt in æterna tabernacula, atque bonis, qua positivis, qua privatis, fruuntur, reprobi verò pœnam damni & sensus subibunt, nunquam ab illa liberandi.

§. 21. *Porism. XV. Christus est caput invisibile Ecclesie.* Is enim divinitus homines vocat, per Apostolos suos ac Doctores, qui iisdem verbum Evangelii de Christo annuntiare debent, vocatos deinde ad tribunal suum vocat, quo perpetuo, vel cum illo conjuncti maneat, vel ab eodem disjungantur. Solum autem Christum, non verò Petrum, Ecclesie caput esse, haud difficulter probari potest. Etenim hic, Petrus scilicet, in Domo Cornelii provocat ad Christi mandatum, quod sibi aliisque fuit præscriptum, nequaquam verò se, ut Caput Ecclesie, commendat Cæsareensibus, ac si ipsi tantum obtemperare debeant; sed non sine ratione monet, quod aliquando iudicio Christi stare teneantur. Notanter autem dixi, Christum *invisibile caput* esse suæ Ecclesie. Quamvis enim omni tempore præsens sit, Ecclesiamque suam nunquam deserat, *Matth. XXIX. 20.* attamen visibilem suam præsentiam eidem subtrahit, usque dum iudicium sit peracturus, atque in illo visibiliter appariturus. Hinc, dum *judex* appellatur, statim nobis in memoriam revocatur visibilis ejus reditus, certissimè instituendus, qui tamen propterea non negat, eum invisibile esse caput Ecclesie. *Eph. 1. 22.*

§. 22. *Porism. XVI. Christus, ut Propheta, instituit Ministerium Ecclesiasticum.* Præcepit enim Petro, aliisque Apostolis, ut populo prædicarent, & quidem ea, quæ ipsis erant præscripta. Christus itaque, in officio Prophetico constitutus, Doctores Ecclesie suæ præfecit, qui illi verbavita, scitu necessaria & digna, annuntiarent. *Matth. XXIII. 24, XXVIII. 19. Job. XX. 21.* Idem nostra ætate adhuc fieri, mediatè nimirum, ecquis negare velit? Hinc ad illos pertinet Christi monitum, quod in Parabolico sermone ab eo fuit prolatum, *Luc. XIX. 13. Negotiamini, donec venero rursus.*

§. 23. *Porism. XVII. Christus Rex est, & officium Regium administrat.* Regis, est judicare populum suum, atque in illum dominari. Idem verò de Christo pronuntiatur, quippe qui est *judex definitus* vivorum & mortuorum. Inde enim inferre licet, eidem officium regium attribuen-

attribuendum esse. Etenim is *Rex est*, secundum utramque naturam, *constitutus in Regem*, tantum secundum humanam naturam consideratus, & *regnat*, ita, ut non solum ab aeterno potestatem regnandi habuerit, atque nunquam eandem depositurus sit, sed etiam ille, secundum humanam naturam, in exinanitionis statu, eandem particulariter quidem exercuerit, postea verò, per sessionem ad dextram DEI, ad plenarium & nunquam interrumpendum exercitium potentiae regnandi pervenerit. Erudita ac lectu dignae sunt meditationes accuratissimi Theologi, B. D. Carpzovii, quae in *Disp. Isagog.* in *Chemnitium* p. 979. sqq. leguntur, atque fusius modò dicta illustrent.

§. 24. *Porism. XVIII. Verbi Divini Ministerium est, predicare & testificari.* Utrumque in aureolo nostro dicto expressis verbis legitur. Hinc *ἡγεῖται* ab iisdem requiritur, *Matth. XXVI. 13. Act. IIX. 5. XV. 21. Rom. II. 21. X. 15.* ut Evangelium de Christo, prout Petrus fecit, praedicent. Ob eandem rationem Ministerium Ecclesiasticum vocari solet *Ministerium Evangelii*, ratione objecti, quod tractat. Et ipse Paulus Timotheum compellat, ut *opus faciat Evangelista*, *II. Tim. IV. 5.* pariter respiciens ad res, in officio hoc sacro ab Ecclesiae Doctore proponendas. Quamvis enim verbum Legis ab unoquoque Praeconum sacrorum injustis praesertim praedicari debeat, tamen verbo Evangelii ad Christum suaviter sunt ducendi peccatores, quo in eum credant, atque sic ab omnibus peccatis mudentur, ac demum salvi fiant. *Testificari* deinde debent *ἡγούμενοι*, tum doctrinam Evangelicam purè tradendo, tum Sacramenta integre administrando, tum piè vivendo, tum patientiam in rebus adversis exercendo, atque, si necessitas exegerit, vitam pro veritate Evangelii fundendo, tum denique iniquissimorum hominum vitia redarguendo, atque in die novissimo testimonium eisdem praebendo, quod gratiam Dei, tot iteratis vicibus oblatam, protervè repudiaverint, imò justissimam DEI iram sibi contraxerint. Hinc non solum Apostoli ordinati erant testes, ut Christum verè resurrexisse singulis annuntiarent, prout Petrus *v. 41.* modo indicaverat, sed alii etiam Ecclesiae ministris idem officium competit, ut de voluntate Patris coelestis ex ipsius verbo testimonium ferant, ceu illos, qui *μάρτυρες* dici & esse volunt, addecer. Tandem verò, si in hac vita omnes numeros ingenii & veracis testis expleverint, in extremo

extremo iudicio ad munus testificatorium & approbatorium à Christo iudice admittentur.

§. 25. *Porism. XIX. Mortui resurgent è sepulchris.* Illi enim, qui mortui fuère, non in dormitoriis iudicabuntur, sed si prius vita fuerint donati. Hoc sane respectu mortui vocantur, ob solutionem vinculi naturalis, dum animæ ipsorum corpora dereliquerunt, ut adeo mutata re pristinum nomen tantum retineatur. Illos autem, & quidem omnes, nullo penitus excepto, (qui scilicet nondum prodierunt, cum Christus requietorium suum desereret,) esse resurrecturos, patet ex *Job. V. 28. Act. XXIV. 15.* Christus ipse resurrexit, vidni homines, quiper eum dormierunt, iterum essent educendi? *1. Thess. II. 14.* In quem locum oppido eruditam conscripsit *Disquisitionem Historico-Theologicam, de Resurrectione Christi, adversus Hæreticos, & Hostes alios, B. Dn. D. Balthas. Bebelius, quæ Argentorati A. MDCLXIV. est ventilata, atque legi meretur.* Impios verò, aliquando prodituros, quod spectat, illi non vi meriti Christi resurgent, quia ejus beneficia, respectu illorum, in hac vita finiuntur, & tantum ordinantur ad vitam æternam, quapropter *suscipit quidem impios Christus, sed ut severus iudex, non graciosus mediator, & hoc sine, ut judicentur & detrudantur in opprobrium æternum, ceu B. Scherzerus in Syst. Theol. p. 576. rectè loquitur.*

Sectio Problematica.

§. 26. *Probl. I. Num redire ad iudicium, & iudicare inter se differant?* Utrumque de Christo prædicatur. Is enim à DEO definitus est Iudex, ut visibiliter redeat ad iudicium, quemadmodum visibiliter se post factam resurrectionem conspicieendum præbuit, redibit ergò ad iudicium visibili modo, hinc iudicabit secundum utramque naturam vivos & mortuos. Differentiam verò quandam inter hæc duas propositiones inveniri, monet *B. Carpzovius, in Hagog, in LL. Symbol. p. 19. hæc verbis: Aliud est redire; aliud iudicare. Prius est conditio Christo secundum carnem competens: Posterius verò pars officii regij est, quod secundum utramque naturam Christus exequitur.*

§. 27. *Problem. II. Num doctrina de extremo iudicio in Ecclesia Lutheranæ Evangelicæ variis assertionibus impugnetur?* Ita quidem ipsis Calvinianis, (ut Pontificios, maledicta ferociter & liberè in eandem dicentes, nunc missos faciam) videtur, nostram Ecclesiam convitiis proscindenti-

dentibus, quod assertionibus illis, quæ de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, atq; omni præsentia carnis Christi, traduntur, doctrina de extremo judicio haud parum labefactetur & oppugnetur. Testem ejus rei adduco *Phil. Casarem*, qui all. *B. Feurbornio T. VII. Dissp. Giessens. p. 208.* ita in nostros invehitur: *Miserius* (Judæis scilicet, quos modo notaverat) *falluntur Christiani illi, qui corporis dominici omnipresenciam in singulis etiam hujus mundi locis fingunt invisibilem, qua hunc Christi adventum tantum non in reparitionem, ut ita loquar, Emerisionem quandam ex tenebris mutant, quasi abitu ejus nihil aliud, quam disparitio fuerit manentis, quæ ratione ipse adventus seu reditus revera tollitur & negatur.* Huic jungo *Fridericum Rombergium, Ecclesiasten Heidelbergensem, qui in Expositione Textuum Evangelic. p. 1427.* sequentia assert: *Wenn man uns zeigen will/ Christum in einer Hostien/ wenn man sagt: Siehe hie oder da ist er mit seinem warhafften natürlichen Leibe/ laß uns antworten: Christus muß den Himmel einnehmen bis auff die Zeit/ da hernieder bracht werde alles/ was Gott geredt hat durch den Mund aller seiner heiligen Propheten von der Welt an/ 1. ad. III. c. 21. oder: Dieser Jesus/ der den Himmel gefahren/ wird wieder kommen. 1. ad. I. Quia in parte videtur secutus esse *Wilhelmum Zepperum, Herborensem, Sacerdotem, in Sylva Homiliar. in Textus Evangel. p. 869. 874.* haud dissimiliratione Evangelico-Lutheranorum cœtui succensentem. *Verum, ut non attingam ea, quæ à B. Feurbornio l. c. p. 208. sqq. Phil. Casari jam diu fuere reposita, breviter quidem, at accuratè, respondet B. Scherzerus in Syst. Theol. p. 590. Negationem extremi judicii sequi ex assertionem omnipresencie Christi, nec Philippus Casar, Disputatione de ultimo Christi adventu, nec quicquam alius Calvini assecla probaturus est, a positione enim presencie invisibilis ad negationem adventus visibilis N. P. C.* Quapropter diversi modi præsentia Christi probè sunt considerandi, non ut eos sibi invicem opponamus, sed ordini certo subjungamus, vel, ut Philosophi loqui amant, subordinemus. Christus enim visibiliter olim & gloriose ut Judex in nubibus apparebit, & certo præsentia modo videndum se Judicem vivorum & mortuorum rursus sistet, qui invisibiliter in cœna corpus suum & sanguinem suum præsentia exhibet, ac potenter omnia apud creaturas, licet identidem secundum præsentiam invisibilem, gubernat. Idem probari potest ex duobus illis vocabulis, *παρρησία* & *φανερώσεσι*, passim obviis. Illud enim visibilem ejus absentiam præsupponit, hoc verò invisibilem ejus præsentiam infert, qui, sedens ad dextram Patris, invisibiliter præsens nobis est, & in medio Ecclesiarum in*

his

his terris juxta promissionem suam versatur. Conf. B. Rappolti *Opp. Theol. P. 1. p. 242. sq. & 246.* coll. B. Carpzovii *Isagog. in LL. Symbol. p. 191. B. D. Jo. Deutschmanni Controvers. Papistic. sec. Confess. August. Methodum Examine, p. 305. sqq.* & B. D. Jo. Boissacci *Gymnasio Christolog. Domest. p. 568. sqq.*

§. 28. *Probl. III. Num Christus sit supremus judex in causis fidei?*
 Negativa placet Jac. Gretsero, ex verbis Petri inferenti, Christum tantum fore judicem supremum alterius Seculi, quoniam is constitutus sit à DEO judex vivorum & mortuorum. Verum iterum ea hic opponuntur, quæ aptissimè inter se cohærent, & simul stare possunt. Quamvis enim extremum judicium finis sit hujus seculi, propterea tamen is, qui in ultimo judicio præsidis defungetur partibus, judicis munere in hoc seculo, quod vivos complectitur, sese haud abdicabit, sed per Evangelium, infallibiliter infallibile, ab Apostolis & Doctoribus annuntiatum, ex quo fides vera concipi potest, homines, tum hic, tum illic, judicabit. *Vivus est Dei sermo, efficax & ægissimè. Ebr. IV. 12. coll. Job. XII. 48. Vid. B. Andr. Prückneri Vindic. Biblic. P. I. f. 65. & T. IIX. Dissp. Giessens. p. 380.*

§. 29. *Probl. IV. Num Christus diem judicii œcumenici cognitum habeat?*
 In statu quidem exinanitionis notitia illius diei carere voluit, nunc verò in statu exaltationis eidem ille dies incognitus haud esse potest. Definitus is est à DEO judex vivorum & mortuorum, quorum scilicet exactam habebit notitiam, imò novit signa judicium proximè antegressura, quomodo igitur tempus judicii ignoraret? Breviter accuratèque hanc quæstionem expendit B. D. Joh. Olearius in *Isagog. Carpzov. in LL. Symbol. p. 1524.* ita scribens: *Ignorantia voluntaria extremi diei in statu exinanitionis, respectu certi temporis Marc. 13. 32. non infert ignorantiam necessariam & perpetuam in statu exaltationis. Qui enim venturus est in gloria, is non potest ignorare horam gloriosi adventus. Opponenda est hæc assertio Agnoëtis, qui modo Christi animæ, modo ejus divinitati, ignorantiam novissimæ diei attribuebant, quorum meminuit B. Gerhardus T. IX. LL. Theol. p. 82. sq. collatis eruditè observationibus, de Agnoëtismo veteri & recentiori, in Ecclesia Pontificia & Reformata interpolato, quæ T. IIX. Dissp. Giess. leguntur, & sub moderamine B. D. Feurbornii ad disputandum fuere propositæ, p. 742. sqq. Ad ipsum verò Christi dictum, quod Marc. XIII. 32. legitur, conferri meretur B. Gerhardus, in *Exegesi Arriens. p. 723.**

p. 723. & 1467. sq. & pecul. *Dissertatio*, in *Acad. Altdorff. A. MDCXCVIII.* à *Dn. D. Christoph. Sonntagio* conscripta, in qua probatur, quod *Ignoratio Finis Seculi sit confutatio Chiliasmi.*

§. 30. *Probl. V. Num Christus Judex ante, quam in mundi fine, venturus sit?* Negativa probatur è *Scriptura sacra*, quæ Christi adventum cum mundi fine conjungit. *Luc. XXI. 27.* Spectat huc erudita *Dissertatio*, à modo nominato *Theologo Altdorff. Dn. D. Sonntagio, A. MDCC.* in illa verba Christi scripta.

§. 31. *Probl. VI. Num Angeli boni sint judicandi?* *Hypolytus*, qui ad tertium refertur *Seculum*, & *Irenæi* discipulus fuisse fertur, affirmativam tenet sententiam, in *Sermone*, contra *Græcos*, de *universi causa*, ap. *Stephanum le Moine* in *Variis sacris p. 60.* hisce verbis ex versione latina usus: *Cujus judicio sistentur omnes homines, Angeli, Demones, & unanimes vocem emittent sic dicentes justum est judicium tuum.* Cum quo consentit *Jo. Lorinus* (quo nemo unquam uberiores in *Acta Commentariorum scriptis*, iudice *Vener. Dn. D. Jo. Fechtio*, in *Præfat. Triumvirali, Commentario*, quo *Acta Apostolorum* illustrata fuerit, *Hamburgi* recuso, præfixa) in *Commento*. in *b. l. f. 275.* asserens, *Angelos*, (à *Petro* per vivos intellectos) bonos judicatum iri, quo magis clarescat *Christi gloria*, qui & caput & Rex Angelorum, Deique tum iustitia, tum misericordia, tum providentia Angelorum ipsorum laus ac merita. *Petri Thyri* verba adduxit *Gerhardus l. c. p. 122.* Verum *Scriptura* id nullibi docet, quod sint judicandi. Deinde illi, iudicium describat, cum tamen de Angelis malis testatur, quod sint judicandi. Deinde illi, iudicium subibunt, qui peccarunt. Jam verò de Angelis bonis constat, eos nunquam peccasse. Tutius ergò asseritur, quod *Angeli boni* iudicium non sint subituri. Vid. *Witsii Exercitatio*. in *Symbol. Apost. p. 409.* & *Dissert. Theol. de Libris*, in iudicio supremo aperiendus, ex *Apoc. XX. 12.* sub *Præf. B. D. Joh. Deuschmanni, Viteb. A. MDCXXXVI.* defensoris. *C. 4. b.*

§. 32. *Probl. VII. Secundum quam normam Gentiles, qui legem scriptam non habuerunt, judicabuntur?* Illi, quibus tantum lex naturæ innouit, nunquam lectis iisdem violata, judicabuntur, juxta verba *Pauli: Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Rom. II. 12.* Equidem hi ex *Legē Naturæ* salvati haud poterunt, tamen ea mediante verum Dei cultum in *Ecclesia* quærere poterunt, atque proinde iudicium valde gravissimum expectabant, quod istud facere intermiserint. Vid. *B. Brochmand, Syst. Theol. T. II. p. 7015.* & *Dn. D. Bartholini Elementa Theol. p. 283.*

§. 33. *Probl. IX. Num certum iudicii extremi tempus indagare liceat?* Nullum tempus à *Petro* fuit indicatum, quapropter nec nostrum est, diem aut horam vel nosse, vel sollicitè indagare. Siquidem ad salutem non est scire necessarium, ad pietatem non est utile, ob temerariam curiositatem non est honestum, ob *Dei reservationem* non est possibile, ob exempla deceptorum non est prudentius, id tentare. *Conjectura*, si cui placeat incerta, caveat ne vel ipse nimium in tribuat, vel aliis ad curiositatem ascum prebeant, verba sunt *B. D. Wilhelmi Lyseri*, in *Dissut. Cateches. Possillar. Dec. 10. Diss. III. §. XXXV.* quæ mea nunc facio, iisdem *Exercitationi* huic imposturus

F I N E M.

P. 15. lin. 17. verba hæc: qui in carcere per eum datus fuit, ita legenda sunt, qui in carcere per eum dictus fuit.



99 A 6910

ULB Halle 3
002 710 579




sb.

VD77

Petro

Mi. 68.







GEORG. HENR. GOETZII, D. 19

Superint. Lubecenf.

Exercitatio Theologica,

De

Annuntiatione Judi-
cii extremi, à Christo
exercendi,

Act. X. ^{Ex} ψ. 42.

Quam

In Colloquio Consueto

D. XXI. Novembr. AN. MDCCXIII.

defendet

JOH. HERMANNUS SIRICIUS,

Lubecenfis.

LUBECÆ,

Prelo SCHMALHERTZIANO.